ua erit, cui non solum in sua potestate habere, sed et
Filium habere, et subditum, et famulantem habere?
Nonne Maximus Hebraeorum Josue in Scriptura
celebratur, quod eius imperio cursus solis steterit,
et obtemperarit? Nonne summi honoris Ioannem
Baptistam aestimamus, eo quod semel duntaxat
in Jordane Dominum gloriae sibi subiectum
habuerit? Quid, nonne Centurio ille in Evan-
gelio ob suum imperium, quod in servos tenebat, au-
sus est quodammodo se iactare, atque dicere: si
Iussero servos meos hoc vel illud facere faciunt?
quibus quantisque laudibus gloriosissimum Josephum
celebrari fas erit: cui non tantum una hora, sed
multis annis Immensae Maiestatis Deus obsequen-
davit! ad cuius vocem non semel duntaxat, sed
millies sol iustitiae stetit! cuius imperio non sol,
sed solis Creator facillime obtemperavit. qui
non servo, sed Deo dixit: hoc fac, et faciebat?
O miram et incomprehensibilem Josephi celsitudi-
nem! Nam teste Gersone, sicuti haec subiectio
inaestimabilem humilitatem notat in Christo: ita
dignitatem incomparabilem signat in Josepho. Ma-
gnus honor est esse vile Mancipium Christi, singu-
laris excellentia, esse famulum, eminentia in-
credibilis, esse amicum; quid dicam, erit esse Patrem,